OFFICIUM CAPITULI (KAPITELOFFIZIUMSBUCH)
Klosterneuburg, 1371 Seite 179r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=818
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

labia cura dentes meos. Miserimini mei miserimini mei saltem uos amici mei: quia manus dei tetigit me. Quare me persequimini sicut deus: et carnibus meis saturamini? Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stilo ferreo et plumbi lamina: uel certe sculpantur in silice? Hoc enim quia redemptor meus uiuit: et nouissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea: et in carne mea uidebo deum saluatorem meum. Quem uisurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt: et non alius. Reposita est hec spes mea in sinu meo.

Quomodo confitebor tibi domine Qm. deus meus quando ueneris in iudicio tuo quia cor meum mundum non habet odiui animam meam in carne positam pollui templum corpus meum de omnibus iniquitatibus coinquinauit cor: te domine ante quam discutias me miserere mei. ℣ Tibi soli peccauimus domine miserere mei. Precor te. Res: sicut portauimus ymaginem terreni: portemus et ymaginem celestis. Hoc autem dico fres: quia caro et sanguis regnum dei non possidebunt: neque corruptio incorruptelam possidebit. Ecce mysterium uobis dico. Omnes quidem resurgemus: sed non omnis immutabimur. In momento in ictu oculi in nouissima tuba. Canet enim tuba et mortui resurgent incorrupti: et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam: et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem: tunc fiet sermo qui scriptus est. Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est: virtus uero peccati lex. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam: per dominum nostrum. Libera me domine de morte eterna Qs. in die illa tremenda quando celi mouendi sunt et terra dum ueneris iudicare seculum per ignem. ℣. Dies